

Gottfried Weiss

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Gothofredus Weiß/ Gr.L.  
Prof. P. Facult. suae h. Decanus ... Ad pie perpendendos Resurrectionis Christi  
Amplissimos Fructus, cives Academicos Omnes & singulos, quo fas est studio  
ac humanitate excitat & hortatur [P.P. Sub sigillo Rectorali, ipso Festo Paschatos  
A. MDCXCI.]**


Rostochii: Weplingius, [1691]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73400365X>

Druck Freier  Zugang









J. 512.

---

1691. Oster.

~~A 1256~~ 69.



1691

PROGRAMMA  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
GOTTHOFREDUS



Weiß!

Gr. L. Prof. P. Facult. suæ h. Decanus,  
ad Adon D. Nicolai Ecclesiastes,  
Ad piè perpendendos

RESURRECTIONIS  
CHRISTI  
AMPLISSIMOS FRUCTUS,

Cives Academicos Omnes & singu-  
los, quò fas est studio ac humani-  
tate excitat & hortatur.



ROSTOCHII,  
Literis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

M. 1256 65





It ergo glorioſe reſurgit, proſtratis  
hoſtibus noſtris ſpiritualibus in uni-  
verſum omnibus, denſo agmine infe-  
ſtis ſignis irruentibus, libertatis ac  
ſalutis humanæ Stator atque Vindex  
inclytus, invictus, ſemperque Augu-  
ſtus. Quàm quæſo mutata nunc re-  
rum facies eſt? Hactenus inter tot  
dolores, angores, cruciatûs & tor-  
menta fatiſcens, omnium afflictiſſimi ac miſerrimi,  
quin facinoroſiſſimi etiam mortalium, ſpeciem præ-  
bet ſervator Jeſus, infectantibus Eum, omnemque cru-  
delitatem inauditâ ſævitie exercentibus inimicis, deſeren-  
tibus vero, quinimo hoſtium catervæ offerentibus, famili-  
aritatemque Ejuſ deteſtantibus amicis. Nempe, vidimus  
Eundem à familiari & neceſſario ſuo nefariâ prodicione,  
maleſeratorum hominum poteſtati traditum; ab alio di-  
ſcipulorum tot beneficiis devincto, interpoſito juramento  
& exſecratione abnegatum. Vidimus, abs ſacrorum mi-  
niſtris & ſacerdotibus, livoris atq; odii ſtimulis incitatis, &  
ex Achæronte furoris ceſtro percitis, paratos inſidiarum  
nexus, injeçtaq; abs impiis parricidalibusq; manibus vin-  
cula, hiſque innocentiffimum Dei Agnum, non ductum, ſed  
immaniſſimâ tyrannide pertractum. Vidimus de domo in  
domum raptum, à judicio Judæorum, quod Synedrium  
magnû vocant, ad Pilatum, ut cauſam diceret adductum,  
inibique mancipii inſtar, infami pegmati impoſitum & ad  
palum alligatum, virgis flagellisq; acerbiffimè crude-  
liſſimèque caſum & poſt hæc nequiſſimo Regum Herodi  
ſceleratiſſimæqve turbæ vexationibus, injuriis, blaſphemi-  
is & mille ludibriis expoſitum. Vidimus tandem morte te-  
rriſſimâ affectum, ſepulchroque illatum, ſimulque ſpem  
omnem



ac fiduciam, fidelium antehac sui sectatorum ferè con-  
clamatam atq; sepultam. Nunc verò gloriosum caput  
sepulchro extulit. Vox Angeli auditur; surrexit Chri-  
stus hodie, humano pro solamine Alleluja! Et sic inter  
ferales cupressus enatas oleas, palmas, laurus cernimus;  
erectum est crucis tropæum: CHRISTUS. SERVA-  
TOR. VICTIS. PECCATO. MORTE. SATANA.  
ATQVE. INFERORUM. REGNO. TROPÆUM.  
POSUIT. LIBERTATI. HUMANÆ. Feretrum in  
currûs triumphales est muratum. O catastrophën læ-  
tissimam! ò beatam lucem, quæ omnis calamitatis finem,  
nobis ostendit. Sanè si ullus alius ab ortu mundi dies, hu-  
mano generi lætitiã attulit, hæc resurrectionis dies  
attulit: stante enim hoc gloriosò Christi triumpho, stat fi-  
des salusque nostra, eodemque cadente cadit. Ita ad  
Corinthios, Ep. I. c. XV. 14. 17. D. Paulus: *Quod si Christus  
non resurrexit, inanis est predicatio nostra, inanis autem est &  
fides vestra.* Et iterum: *Quod si Christus non resurrexit,  
supervacanea est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris & re-  
perimur falsi testes.* Utique eò ipso potenter semet demon-  
stravit Filium DEI, juxta Ejusdem Apostoli pronuncia-  
rum, Christus. Non immeritò aliàs dubitassetus mile-  
ri mortales, an confectum feliciter redemptionis negoti-  
um esset, destructâ morte, & qui ejus potestatem habe-  
bat diabolo; vel num potius infernali succubisset Ipse  
potentiæ, mortisque frangendo aculeo, & superandis  
viribus impar extitisset. Nunc verò illius redditi sumus  
certissimi, quando quidem exspoliatos principatûs ac po-  
restates ostentavit palam, triumphans de illis per semeti-  
psum. Vicit Jesus leonem, qui rugiens circuit, quarens  
quem devoret. Ibat Samson ille, de quo legimus Judic.  
XIV. unã cum parentibus suis in Thamnata, inque itinere  
ad oppi-

21011

))



ad oppidi vineas occurrebat ei leo rugiens & sævus. *Irruebat autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerabat leonē, quasi hædū in frustra discerperet, nihil omnino habens in manu.* Diabolus leo svævissimus omnes exeruit vires ut Samsonem nostrum profterneret; hinc illi rugitus terrifici: crucifige, crucifige: eoque Pharisæos etiam, Pontifices, Judæos, Romanos, iudices iniquissimos, ipsos etiam ex parte Christi discipulos concitârat, ut auxiliatrices ipsi ferrent manus. At enim vero Samson noster leonem hunc sævissimum velut hædum discerpfit, nosque omnes simul ab ejusdem furore tutissimos præstitit. Vicit Triumphator noster, crocodilum, insatiabili cupiditate & voracitate terribilem, mortem puta. Refert Plin. Nat. Hist. lib. VIII. c. 25. & consentit eidem ferè Ælianus lib. VIII. de animal. c. 25. crocodilum humanæ etiam carnis appetentissimum, plenè exfatiatum, ad somnum se componere in litore, tum, aviculam quandam, quæ Trochilos ibi vocatur, pabuli sui gratia beluam exporrectam ad hiandum invitare, primum os ejus assultim purgantem, mox dentes & intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem maximè patulas oberrantem. Inque hâc voluptate crocodilo somno presso, ichnevmonem, ab aliis enydron appellatum, serpentem, per easdem fauces ut relum ali-quod immissum alvum erodere. Hic sanè nemo non ichnevmonem alvo crocodili mersum conspiciens, putaret esse victum atque absorptum? sed hæc callidi serpentis est victoria, dum hostis faucibus deglutitur, hostem perimit. Ita pariter mors, capitalissimus Christi hostis, Hunc etiam, qui semetipsum serpenti comparat, glutit, sed ea ratione victoriam omnino amisit. Adeo quidem, ut firmissimâ nixi fiduciâ, ovantes, fremente licet ac indignante inferno exclamare queamus: Absorpta est mors



mors in victoriam, ubi tuus mors stimulus, ubi tua inferne victoria. Deo sit gratia qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Jesum Christum! Sed alii præterea sunt fructus amplissimi, qui ex victoria hæc in nos largissimo cum foenore redundant, gaudiumque paschale miris modis adaugent. Pax nimirum restituta est, quæ vix aliud ex gloriosissimo Christi in vitam hanc reditu in nos transferre licet præstantius. Hæc sanè voce unicâ omnes complexus mihi videor felicitatis numeros, & hûc omnia servatoris meritisimi beneficia velut in centrum per varias vias corrivantur, quæ tanta sunt, ut Angelicæ linguæ illis explicandis non sufficiant. Maximum reputatur à mundi hujus potentibus saluberrimumque factum, si pacem reddant subditis, juxta illud.

*Pulchrum eminere est inter illustres viros,  
Consulere patria, parcere afflictis, serâ  
Cede abstinere, tempus atque ira dare,  
ORBI QUIETEM, SEculo PACEM SUO,  
Hæc summa virtus, petitur hæc cælum via.*

Ast altior è sepulchro pax nobis nascitur, quæ non orbis Imperia sed cælum ipsum afficit, & serenos in vultûs induit. Satis superq; constat, per primorum parentum nostrorum prævaricationem, læsæ Majestatis divinæ reos criminis nos omnes esse factos, utpote qui in Adamo certâ ratione extitimus simulq; peccavimus: hinc justissimi judicis pœnas & vindices imprimis Avernî flammæ inextingvibiles pati debebamus. Verum enimvero medium sese stitit Deum inter iratum & peccatores homines, Mediator Optimus Maximus, pacemque inter partes disidentes, æternumq; capitali odio disjungendas conciliavit. Jucundissimum auditu est, Servatorem nostrum vitæ redditum, discipulisq; variâ sollicitudine animiqve altâ ægritudine fatigatis & ferè



confectis visum, hâc potissimum voce labascentes erexisse: Pax vobis! Quo ipso omnis solatii fontem derivare in eos & nosmet omnino voluit, quasi diceret: Ego qui in conspectum me vestrum dedi, postquam à morte revixi & è sepulchro prodii, certissimos vos fieri volo, nunc omnem iram, indignationem, inimicitiam sublatam, hostes spirituales subactos, justitiam, vitam & beatitudinem æternam reparatam esse: etenim per obedientiam plenissimè præstitam, per tot dolores & & cruciamentorum genera, ipsamq; mortem acerbissimam lex impleta, peccatum profligatum, pœna vestri loco suscepta atqve tolerata, ut abire vosmet impune queatis. Ita est, jure meritoq; tantæ pacis Autorem & Acquisitorem laudamus & æternum veneramur à mortuis resuscitatum salvatorem nostrum. *Vos qui quondam remoti eratis, inquit ad Ephesios Apostolus c. II. 13. propinqui facti estis per sanguinem Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utrisq; unus, & interstitium mœceria diruit, similitatem per carnem suam.* Mirari me subit (quod obiter noto) Calvinum in Lucae Cap. XXIV. reprehendere illos, qui pacem quam Christus discipulis suis toties post resurrectionem suam apprecatur, ad fructum resurrectionis pertinere statuunt, ac si ex lingvæ Hebraicæ ignorantia in hanc eant sententiam, cum consveto more solummodò saluter & prosperrima quævis exoptet suis servator. At verò rectissimè his respondet B. Gerhardus Harmon. Hist. Evang. de Resurrectione C. VIII. p. m. 169. cujus verba ad propositum nostrum apprimè facientia hic subjici merentur: *Novimus sanè, inquit, hanc salutationis formam fuisse consuetam & vulgarem, sed cum Christus qui est verus cum Patre & Sp. Sancto Deus, in primo post resurrectionem suam accessu, discipulis pacem precatur, id nequaquam ex vulgari salutandi consuetudine*



*tantummodo oritur, sed etiam præclarum resurrectionis fructum nobis commendat: unde singulari quâdam Empbasi hanc pacis precationem bis repetit. Pax uti dictum, significat omnis generis felicitatem, sed cum regnum Christi non sit de hoc mundo, & fructus resurrectionis non ad hanc temporalem & caducam, sed ad spiritualem & æternam vitam propriè spectent, ideo intelligitur felicitas regno Christi conveniens, nimirum spiritualis, cælestis & æterna, consistens in remissione peccatorum, reconciliatione cum DEO, liberatione à morte Diabolo & inferno & vita æterna donatione, &c. Hæc bona omnia & singula comprehenduntur appellatione pacis, quia per Christi passionem mortem ac resurrectionem, parta est nobis pax supra nos, cum Deo Patre cælesti, quia reconciliati sumus Deo per mortem Filij Eius Rom. V. 10. n. fide in Christum propter peccata nostra mortuum & propter justitiam nostram resuscitatum habeamus pacem ad Deum Rom. V. 1. ut & Ipse cogitationos pacis super nos habent. Jer. XXIX. 11. Per eandem verò Christi mortem & resurrectionem parta etiam nobis est pax intra nos. Hæc scilicet peccati natura est, ut blando primùm illicio attrahat hominem, tantaq; dulcedine amassos suos perfundat, ut beatos se putent, cupiditatibusq; suis velificantes, altâ pace per tempus suaviter fruantur; evigilante autem seriemq; malefactorum adjectis interminationibus & accusationibus, exhibente conscientia, ex peccato olim hausta voluptas, in angores animi inexplicabiles convertitur, non aliter, ac si stipite ad corpus admoto essent affixi peccatores. Hinc est, quod Judæorum peccatum stilo scriptum ferreo, & adamantinâ cuspide exaratum in eorum cordis tabulâ dicatur. In talibus angustiis, liberationem & medicinam etiam profligatissimi, si hominis non obliviscantur, quærunt, sed reperire de se nunquam sapientissimi ac optimi potuerunt. Pervestigemus, quæ in Stoæ sanioribus sunt effatis, in Porticu & Academiæ placitis, Lycei in fontibus, mysteriisque doctrinarum Memphisiticis, aut Pythagoræ ænigmatibus, arida & sicca apud omnes omnia deprehendemus. Optimâ verò è resurrectione Christi consolatione adjuvamur, qui ex sepulchro reviviscens veram nobis animi tranquillitatem attulit & pacem, unde bellis nostris intestinis superiores esse possumus; nec enim ultra cor nostrum nos condemnat I. Joh. III. 21. quin potius testimoni-*

um.



um Dei Spiritus dat Spiritui nostro, quod sumus Fili DEI, Rom. VIII. 16  
 Parta porro per Christi resurrectionem quoq; est pax infra nos, à dia-  
 bolo & inferno, de quibus supra dictum; & quamvis, tentationibus suis  
 hanc turbare conetur sathanas, qui si vi aperta nequeat, rem agit per cuni-  
 culos, mæandros fraudesque flexuosas, & mille nocendi artes adhibet:  
 resistere tamen eidem per Dei gratiam, freti præsidio Induperato-  
 ris nostri invictissimi valemus, nec dubiam saltim ipsi palmam reddere,  
 sed plane etiam auferre eandem victores possumus. Fluit verò pax  
 hæc omnis potissimum ex remissione peccatorum gratuita ac plenaria,  
 quam itidem Resurrectionis Dominicæ fructum saluberrimum merito  
 appellaveris. Ex hæc enim colligere certò certius licet, pro peccatis  
 nostris plenissimè esse satisfactum. *Traditus est propter peccata nostra,*  
*& resuscitatus propter justitiam nostram*, inquit Paulus Rom. IV. 25.  
 Nimirum quando creditor debitorem aut fideiussorem illius quem ha-  
 ctenus propter debita, quibus obæratuſ erat, captivum tenebat, ex carce-  
 re cum honore dimittit, id ipsum indicio est, nihil jam superesse æris ali-  
 eni, quod requirat ab illo. Sic servator noster instar fideiussoris nostri,  
 in carcerem mortis & sepulchri fuerat traditus, inde verò cum gloriâ re-  
 suscitatur: nil ergo juris in nos peccata & peccatorum habebunt exacto-  
 ves. Et maximo denique solatio esse nobis poterit, licet variè perentatis,  
 vox illa Apostoli, *Resurrexit Christus, & nos resurgemus*. Hoc  
 enim resurrectioni Christi debemus etiam. Sumus nos membra Capitis  
 quod est Christus, illo igitur per resurrectionem elevato, nos quoq;  
 in spem erigimur merito, fore ut è cineribus audita cœlesti tuba in die  
 novissimo excitemur etiam, capitique nostro sine disjunctionis formi-  
 dine æternum adhæreamus. Neque frustra factum puto quod Chri-  
 stus reviviscens, multorum sanctorum corpora è sepulchris prodire  
 fecerit. Testatus eo ipso ceu publico quopiam documento est, se  
 omnipotenti & vivificâ pollere virtute, quæ omnis creatæ virtutis  
 excedat limites, siquidem reddere vitam mortuis, divinum planè &  
 infinitæ potentix opus est; & simul tamen etiam velut specimine quo-  
 dam ostendere ad oculum voluit, fructum suæ resurrectionis esse resu-  
 scitationem nostram. Hinc ergo satis patere puto, quanta in nos con-  
 tulerit Bona gloriosissimus Triumphator noster, Gaudete ergo &  
 iterum dico gaudete! attamen simul surgere à peccatis ad vitam  
 novam studete. Vivo inquit Dominus & vos vivetis. Quod si  
 hic vixerimus in fide & pietate, vivemus æternum cum Eo  
 in cumulatissimâ felicitate.


P. P. Sub sigillo Rectorali, ip'o Festo Paschatos

A. MDCXCI,











tantummodo oritur, sed etiam pra  
Etum nobis commendat: unde singul  
pacis precationem bis repetit. Pax  
generis felicitatem, sed cum regnum  
do, & fructus resurrectionis non ad  
cam, sed ad spiritualem & aeternam  
ideo intelligitur felicitas regno Chri  
spiritualis, caelestis & aeterna, consisten  
reconciliatione cum DEO, liberatione  
no & vita aeterna donatione, &c.  
comprehenduntur appellatione pacis,  
mortem ac resurrectionem, paria est  
Deo Patre caelesti, quia reconciliati s  
Ejus Rom. V. 10. n. fide in Christu pro  
& propter iustitiam nostram resu  
ad Deum Rom. V. 1. ut & Ipsa cogitatio  
Jer. XXIX. 11. Per eandem vero Christu  
paria etiam nobis est pax intra nos. Ha  
ut blando primu illicio attrahat homine  
tuos perfundat, ut beatos se putent, cupi  
altâ pace per tempus ivaviter fruantur;  
malefactorum adjectis interminationibu  
te conscientia, ex peccato olim hausta vol  
explicabiles convertitur, non aliter, ac si  
sent affixi peccatores. Hinc est, quod Ju  
ptum ferreo, & adamantina cuspide exar  
dicatur. In talibus angustiis, liberatione  
figatissimi, si hominis non obliviscantur,  
nunquam sapientissimi ac optimi potueru  
Stoæ sanioribus sunt effatis, in Porticu  
in fontibus, mysteriisque doctrinarum M  
anigmatibus, arida & sicca apud omnes  
ptima verò è resurrectione Christi conlola  
pulchro reviviscens veram nobis animi tu  
cem, unde bellis nostris intestinis superior  
ultra cor nostrum nos condemnat I. Joh. II

rectionis fru  
Empbasi hanc  
nificat omnis  
de hoc mun  
lem & cadu  
orie spectent,  
s, nimirum  
peccatorum,  
bolo & infer  
nia & singula  
isti passionem  
ranas, cum  
mortem Filij  
osira mortuū  
amus pacem  
r nos habent.  
resurrectionem  
cati natura est,  
edine amafios  
is velificantes,  
em seriemque  
bus, exhiben  
ores animi in  
as admoto es  
um stilo scri  
cordis tabulâ  
m etiam pro  
reperire de se  
emus, quæ in  
lacitis, Lycei  
ut Pythagoræ  
ndemus. O  
ur, qui ex se  
attulit & pa  
us; nec enim  
us testimoni  
um.

